



## **Magnum Bullarium Romanum, Seu Ejusdem Continuatio**

Quæ Supplementi loco sit, tum huicce, tum aliis quæ præcesserunt  
Editionibus, Romanæ, & Lugdunensi ...

Constitutiones Variorum Pontificum in præcedentibus Editionibus  
desideratas, summoque studio hinc inde conquisitas complectens

**Luxemburgi, 1741**

18. Romanum Pontificem, &c. Contra eos, qui Simoniam committunt,  
quam vocant Considentiam Beneficiorum: anno 1564.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74514](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74514)

1564.  
XVII.  
Ex Mem.  
du Clergé  
de France  
Tom. 2.  
pag. 373.

Declaratio S. D. N. Pii Divinâ Providentiâ Papa IV. quod gratiâ de non residendo, & percipiendo fructus, ratione studii, non valeant sine consensu Ordinarii: anno 1564.

## PIUS EPISCOPUS.

**S**anctissimus in Christo Pater, & Dominus noster, Dominus Pius, Divinâ Providentiâ Papa IV. ad cujus aures pervenit, nonnullos curata, vel alios Sacros Ordines, aut personalem residentiam requirentia Beneficia obtinentes, sub prætextu, quod litteris operam dare cupiebant, post Confirmationem Concilii Tridentini, per Sanctitatem suam factam, & publicatam, secum, ut litterarum studio in loco, ut illud vigeat Generale Concilium, actu insistendo, ratione Beneficiorum, per eos obtentorum hujusmodi, usque ad quinquennium, vel aliud tempus, tunc expressum, dummodo infra primum illius annum Subdiaconi fierent, ad reliquos Ordines promoveri minime tenerentur, & tam iidem interim, quam alii, etiam ad eosdem Ordines, vel eorum aliquem seu aliquos promoti, quod similiter Studentes, Beneficiis per eos obtentis, per Vicarios idoneos, per locorum Ordinarios, etiam congrua fructuum Beneficiorum hujusmodi portione illis assignata, deputandos, in Divinis serviendo, animarum Curam illis imminuentem exercendo, & alia incumbentia onera supportando, usque ad simile tempus personaliter in eisdem residere non tenerentur; & nihilominus interea omnes eorundem Beneficiorum fructus percipere possent: per ordinariam Sanctitatis suæ signaturam, seu Penitentiarie suæ officium dispensari, sibi que pariter indulgeri obtinuerunt, Nullum in his vel fraudi, vel circumventioni locum, præsertim quoad absentes à Romana Curia, de quorum qualitatibus facilis notitia haberi non potest, quorum humana ratione provideri potest, relinquere volens, Concilii etiam Tridentini Decretis inhærendo, hujusmodi dispensationes & indulta hæcenus concessa, ac tam ipsius Penitentiarie, quam Apostolicas, & alias desuper confectas & consciendas litteras, processusque habitos, & habendos, per easdem dictis absentibus nullatenus suffragari, nisi singulorum Ordinariorum locorum, in quibus singula Beneficia hujusmodi consistunt, consensus gratis præstandus ad id accedat, Apostolica Auctoritate declaravit, decernens irritum &c.

*Placet, publicetur & describatur.*

*Lectâ & publicatâ fuit superscripta regula Romæ in Cancellaria Apostolica, anno Incarnationis Dominicæ, millesimo quingentesimo sexagesimo quarto, die verò Veneris vigesima quarta Mensis Novembris, Pontificatus Sanctissimi Domini Pape anno quinto.*

A. Lomellinus, Custos.

XVIII.  
Ex Mem.  
du Clergé  
Tom. 2.  
pag. 432.

Contra eos, qui Simoniam committunt, quam vocant Confidentiam Beneficiorum: anno 1564.

## PIUS EPISCOPUS.

*Seruus Servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.*

**R**omanum Pontificem in excelsa militantis Ecclesie specula constitutum, vigiles mentis oculos, non solum in absentium extendere, sed potissimum in præsentium, domesticorumque Fratrum, & filiorum suorum mores diligenter perferutandos aliquando reflectere, ac eos præsertim, quos in Apostolicæ sollicitudinis partem evocavit Altissimus, nedum ab omni pactionis illicitæ contagione, verum etiam ab ejus omnimoda suspi-

cione, vacuos & immunes conservare decet, ut qui cæteros illustri officii sublimitate antecellunt, eosdem præca etiam illa morum integritate præstare dignoscantur. Sanè licet dudum, cum certam Simoniacæ pravitate speciem, quam Beneficiorum Confidentiam vocant, etiam in Romanam Curiam, atque adeo in sacrum venerit Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium Collegium, quasi cuniculos irrepisse, ac nonnullos ex ipsis Fratribus nimia quadam facilitate, sed potius importunitis amicorum familiarumque precibus adductos, Beneficia Ecclesiastica in Confidentiam hujusmodi recepisse, & frequenter percipere, intelleximus; Hanc illicitam beneficentiæ exercentiæ, seu amicitie tollendæ viam à tanto saltem Collegio profors eliminare cupientes, eosdem Fratres in Consistorio nostro secreto, non semel admonuerimus, huic aliena Beneficia custodiendi modo ne assuescerent, neve illa hoc pacto reciperent, ut que sic recepta dimitterent. Nihilominus nuper ad aures nostras pervenit, eorum aliquos, monitionis nostræ, imò potius summet oblitos, ea quæ custodiendi reciperent Beneficia, nondum tamen dimisisse.

Et insuper illos & nonnullos alios, & etiam Patriarchas, Archiepiscopos, & alios Episcopos, ac Cameræ Apostolicæ Clericos, Ecclesias, Monasteria, Dignitates, & talia Beneficia ejusmodi, in sui favorem resignata, cessa, vel aliàs dimissa acceptasse, aut de illis per obitum, vel aliàs vacantibus, à Nobis & Prædecessoribus nostris, seu etiam ab Ordinariis & aliis inferioribus Collatoribus, etiam ad Patronorum præsentationem, ad alterius commodum sibi provideri obtinuisse, illaque ac etiam alia, aliter vacantia, sibi in titulum, commendam, vel administrationem, aut aliàs dicta auctoritate concessa, quandoque in resignantium, vel cedentium, seu etiam aliorum favorem cessisse, vel aliàs dimisisse; ac sibi propterea pensiones annuas ac fructus, redditus, & proventus Ecclesiarum, Monasteriorum, Dignitatum, & aliorum Beneficiorum hujusmodi, in toto vel in parte, etiam aliquando cum facultate illas & illos transferendi, ac etiam collationem, provisionem, præsentationem, & aliam dispositionem Beneficiorum Ecclesiasticorum, ad earundem Ecclesiarum, Monasteriorum, Dignitatum Prælatos pro tempore existentes, ac alios hujusmodi Beneficia pro tempore obtinentes pertinentium, nec non regressus, sive accessus, & ingressus ad Ecclesias, etiam Cathedrales, Monasteria, ac alia diversa Beneficia Ecclesiastica sibi reservari procurasse, & obtinuisse, ad hoc videlicet, ut confidentes sic Decimarum Apostolicarum, vel communis dicti Collegii & annatæ, aliorumque jurium dictæ Cameræ debitorum solutionem eludant, integritate Beneficiorum, etiam in Mensibus Apostolicis vacantium, aut aliàs dispositioni Sedis Apostolicæ generaliter reservatorum, collationibus, ac interdum ut Beneficia ipsa, tempore præcedente, in aliquorum tunc forsitan de jure inhabilium, & incapacium, vel nondum adhuc natorum, favorem cedantur, seu resignentur, vel personæ ut inhabiles & incapaces hujusmodi, etiam laici, pensionibus ac fructibus, redditibus, & proventibus Ecclesiasticis fruantur, & gaudeant, seu potius illis, & facultate transferendi prædicta abutantur in animarum suarum periculum, & perniciosum exemplum. Quare Nos hanc Cardinalium eorundem, in monitionibus nostris parendo incuriam, & tam illorum, quas cæterorum Prælatorum, etiam Clericorum, ac aliorum quorumcumque indignam fallaciam conniventibus oculis diutius minime dissimulandam, sed huic errori, ne radices altius agat, occurrendum tandem esse censimus. Et quoniam hanc ipsorum qui monitioni nostræ non parentes, Beneficia hujusmodi Confidentie, ut præfertur, retinuerunt, & fructus ex eis indebitè,

vel percipiendo, ut per alios nomine suo, etiam per simulas illorum locationes, & fictas de rebus quitantias, ac donationes, & remissiones percipi finendo, graviter exceperunt Cardinalium metam, potius ex immoderata erga suos indulgentia, quam aliquo preceptorum nostrorum spreto processisse facile reputamus. Idcirco omnes, & singulas Ecclesias, etiam Metropolitanas, & alias Cathedralas, ac Monasteria, etiam Consistorialia, Prioratus, Præposituras, Præpositatus, Dignitates, etiam majores, & principales, etiam Conventuales, Personarum, Administrationes & Officia, cæteraque Beneficia Ecclesiastica, cum cura, & sine cura, secularia, & quorumvis Ordinum, regularia, etiam de jure Patronatus, etiam Laicorum, etiam nobilitatem & illustriam, etiam ex fundatione & dotatione existentia, per ejusdem Romanæ Ecclesiæ, etiam Episcopos, Cardinales, & quoscumque alios, etiam Patriarchas, Archiepiscopos, ac etiam ejusdem Camere Clericos in titulum, commendam, vel administrationem, aut alias in hujusmodi confidentiam jure prohibitam, cujusvis personæ (ut præfertur) contemplatione, vel iacuitu, quovis modo recepta, illorum liberam collationem & dispositionem Nobis, & Sedi Apostolicæ, harum serie reservantes, ipso jure à die receptionis eorumdem, vacavisse, & vacare, ac fructuum & pensionum reservationes, ac facultates transferendi, & collationes Beneficiorum, concessionem, eis (ut præmittitur) factas, ac regressus, sive accessus, & ingressus concessos hujusmodi cessasse, & cessare, ac extinctos esse, & eosdem Cardinales, seu quosvis alios, à prima die receptionis Beneficiorum hujusmodi citra, fructus, redditus, & proventus earumdem Ecclesiarum, Monasteriorum, Dignitatum, & aliorum Beneficiorum, ac pensiones prædictas indebitè percipere, suosque facere non potuisse, neque debuisse, sed illos omnes, & singulos ad Cameram eamdem devolutos fuisse, & esse, illique deberi, ac ipsos Cardinales, & alios, ad quorum manus quomodolibet pervenerunt, & eorum hæredes, ad integram illorum restitutionem in utroque foro teneri, & ad id opportunis juris remediis compelli debere, auctoritate Apostolica, tenore præsentium decernimus, & declaramus; Et insuper universis, & singulis, tam ejusdem Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus, etiam Episcopis, quam Prælatibus, & Clericis, & aliis prædictis, præsentibus, & futuris, ne deinceps ullo unquam tempore, aliquas Ecclesias, Monasteria, Dignitates, vel alia Beneficia, etiam de dicto jure Patronatus (ut præfertur) existentia, aut fructus, vel pensiones, aut regressus, vel accessus in confidentiam prædictam, aut ad effectum reservationis hujusmodi, sibi postmodum à cedentibus procurandatum recipere præsumant, Cardinalibus videlicet, & aliis Prælatibus hujusmodi, in virtute Sanctæ obedientiæ, sub interdicti ingressus Ecclesiæ, reliquis verò sub majoris excommunicationis latæ Sententiæ poena, per contrahentes eo ipso incurrenda, à qua, nisi à Nobis, aut Romano Pontifice pro tempore existente, præterquam in mortis articulo constituti, absolvi nequeant, districtius inhibemus. Ac quascumque collationes, provisiones, præfectiones, commendas, reservationes, facultates, etiam transferendi, ac regrediendi, sive accedendi, & ingrediendi, ac alias dispositiones de Ecclesiis, Monasteriis, Dignitatibus, & aliis Beneficiis, eorumque fructibus, & Beneficiorum collationibus per Nos & alios Romanos Pontifices Successores nostros, etiam motu proprio, seu consistorialiter, aut etiam per Ordinarios, & alios inferiores collatores, etiam ad Patronorum eorumdem præsentationem, & alias quomodolibet cum interventu confidentiæ hujusmodi, expressæ sive occultæ, ac de jure præsumptæ, & alias contra præmissa pro tempore factas nullas, & invalidas, nulliusque roboris vel momenti fore, neque cuiquam suffragari, sed Ecclesias, Monasteria, Dignitates, ac alia Beneficia hujusmo-

di, ipso jure vacare, ac nostræ & Sedis Apostolicæ dispositioni reservata, fructusque, & pensiones Camere Apostolicæ applicatos, ut præfertur, esse, & censei, sicque in præmissis omnibus, & singulis, per quoscumque Judices, & Commissarios, etiam ipsius Ecclesiæ Romanæ Cardinales, sublata eis quavis aliter interpretandi, & judicandi facultate, etiam per præsumptiones, & conjecturas legitimas, & eorum arbitrio (cum alias Confidentias hujusmodi in lucem etui, & probari non posse constet) procedendo, judicari, & definiti debere. Ac quicquid secus super his à quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, attentari contigerit, irritum & inane similiter decernimus. Non obstantibus felicis recordationis Bonifacii Papæ VIII. Prædecessoris nostri, de una, & Concilii Generalis de duabus dietis, ac aliis Constitutionibus Apostolicis, nec non Collegii præfati, juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus contrariis quibuscumque. Aut si aliquibus, communiter vel divisim, ab eadem sit Sede indultum, quòd interdicti, suspendi, vel excommunicari non possint, per Litteras Apostolicas non facientes plenam & expressam, ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mentionem. Et ne quisquam, ullo unquam tempore præsentium ignorantiam prætereundè possit, volumus, & eadem auctoritate decernimus, quod ipsæ præfentes litteræ ad Basilicam Principis Apostolorum de Urbe valvas, per aliquem ex Curforibus nostris, illarum copiâ ibi affixâ, & dimissâ, & etiam in Cancellaria Apostolica de more publicentur, ac in ejusdem Cancellariæ quinterno, ad majorem partium illas in judicio producere volentium commoditatem, describantur.

Nulli ergò omnino hominum liceat hanc paginam nostræ reservationis, declarationis, inhibitionis, decreti, & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire.

Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursum.

Datum Romæ, apud Sanctum Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ, Millesimo quingentesimo sexagesimo quarto, XVII. Kal. Novemb. Pontificatus nostri, anno 5. Vifa de Curia. M. de Enrico.

Cæ. Glorierius. H. Cymyn.

Anno à Nativitate Domini Millesimo quingentesimo sexagesimo quarto, Indictione septima, die verò quarta Mensis Decembris, Pontificatus Sanctissimi in Christo Patris, & Domini nostri, Domini Pii, divinâ providentiâ Papæ quarti, anno quinto, suprascriptæ Litteræ Apostolicæ publicatæ, & affixæ fuerunt ad valvas Basilicæ Principis Apostolorum de Urbe, & Cancellariæ Apostolicæ, ac in acie Campi Floræ, dimissis ibidem in suprascriptis locis supra scriptarum litterarum copiis affixis, ut moris est, per Nos Julium Parinum, & Bernardinum Andrentium, prælibati Sanctissimi Domini nostri Papæ Cursores.

Antonius Clerici Magister Curs.

Ad Normam Concilii Tridentini reducit omnia Regularium privilegia circa administrationem Sacramentorum, & speciatim Pœnitentiæ: anno 1564.

PIUS IV. EPISCOPUS.

Servus Servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

XIX.  
Ex Mémoires du Clergé tom. 1. pag. 964.